

## CAPUT SEXTUM

## SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, a versu primo usque ad septimum, docet cavendam esse in bonis operibus ostentationem, et vanam apud homines gloriam. Secundo, a versu 7 usque ad 16, tradit modum orandi, præscribitque omnibus Orationem Dominicam. Tertio, vers. 16 usque ad 19, assignat modum jejunandi, ut in eo satagamus secreto Deo placere, non hominibus. Quarto, vers. 19 usque ad 24, docet thesaurizare celestia. Quinto, a vers. 24 ad finem capituli, vetat avaritiam et sollicitudinem de victu, vestitu ceterisque temporalibus, jubetque ut eam Deo resignemus: « Querite, ait, primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; 4. ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 5. Et cum oras, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. 9. Sic ergo vos orabit: Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum. 10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. 11. Panem nostrum supersubstantialiæ da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. 16. Cum autem jejunas, noli fieri sicut hypocritæ, tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, 18. ne videaris in abscondito jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærgo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærgo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. 22. *Luc. 12* corpus tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? 24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. 25. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anime vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? 26. Respiciete volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne

vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si autem fennum agri, quod hodie est, et cras in dibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modica fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quarite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis. 34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit illi malitia sua.

1. ATTENDITE NE JUSTITIAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS, UT VIDEAMINI AB EIS: ALIOQUIN MERCEDEM NON HABEBITIS APUD PATREM VESTRUM, QUI IN CŒLIS EST. — Pro justitiam nonnulli Codices Græci cum SYRO, Vatablo et aliis legunt *δικαιοσύνη*, id est justitiam, ut verit Noster; jam tamen Codices Complut., Regii alique legunt *ἐλεησίνην*, id est eleemosynam (unde Arabicus vertit *misericordiam*), de qua proxime loquitur Christus; hæc enim *κατ' ἐξουσίαν*, sive per excellentiam, commune justitiæ nomen in Scriptura sibi vindicat, ut cœtendi, II *Corinth.* ix, 10, et *Daniel.* iv, 24. Unde S. Chrysostomus, legens justitiam, per eam accipit eleemosynam. Verum melius Noster et alii legunt justitiam; Christus enim, postquam cap. præcedenti sigillatim explicuit legis præcepta, quæ omnem justitiam, hoc est omne quod justum, æquum et sanctum est, puta omnia bona opera præscribit, nunc hoc capite docet modum ea rite sancteque faciendi, scilicet ut ea faciamus recta intentione et studio placendi Deo, non hominibus. Deinde in sequentibus justitiam hanc sigillatim explicat per eleemosynam, orationem et jejunium; incipit autem ab eleemosyna, mox vers. 7 idem docet faciendum in oratione, et vers. 24 in jejunio: in his enim tribus maxime inhabitare solet vana gloria, ait Chrysostomus; alioquin enim si fiant studio placendi hominibus, asserit Christus illa Deo grata non fore, nec ullam ab eo mercedem promeritura.

UT VIDEAMINI AB EIS. — Vox ut notat intentionem et finem, non consecutionem et sequelam, q. d. Nolite facere opera justa et sancta hac intentione et hoc fine, ut videamini et laudemini ab hominibus; hæc enim est vana sui ostentatio: non vetat ergo illa fieri publice et eo modo, ut homines illa videant et glorificent Deum. Id enim fieri jussit cap. v, 16. Unde S. Gregorius, hom. 11 in *Evangel.*: « Sic, ait, opus sit in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua Deo soli placere querimus, semper optemus secretum. »

Porro, vana gloria omnem dignitatem, vim et eritum boni operis erodit, sicut vermis hederæ, *Jon.*, cap. iv; si scilicet opus bonum ad va-

nam gloriam quasi ad finem referatur; mala enim intentio sufficit, ut tota ejus malitia in opus derivetur, ut docent Theologi ac nominatim Gabriel Vasquez, I II p. *Disput.* LXXI, num. 11. Secus est, si Dei gloriam in opere bono intendit tantum subprepat et quasi ex latere comitem se adjungat vana gloria, ut sint duo actus, unus operis boni bona intentione facti, alter vana gloriæ se adjungentis, que proreum non inficit, nec corrumpit.

ALIOQUIN MERCEDEM NON HABEBITIS APUD PATREM VESTRUM, QUI IN CŒLIS EST. — q. d. Vana ostentationis et gloriæ merces est plausus et favor humanus, non divinus; qui enim hominibus placere cupit, Deo displicet. Deus enim, utpote bonorum operum auctor, eorumdem vult esse scopus et finis, ut scilicet ad Deum usque gloriam ea operemur et referamus; hoc enim omne jus et fas exigit. Unde Paulus: « Si adhuc hominibus placerem, inquit, Christi servus non essem. » *Galat.* i, 10.

Nota: non dicit Christus: *Alioquin damnabimini*, quia vana ostentatio et gloria sæpe est peccatum veniale duntaxat, non lethiferum et damnabile, nisi in invidia, ambitionem, rixas aliaque scelera hominem impellat, ut non raro fit. Unde a S. Chrysostomo, hom. 17 in *Epistol.* ad *Rom.*, vana gloria vocatur « mater gehennæ; » et a S. Bernardo, *serm.* 6 in *Psalmum* *qui habitat*: « Subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, vitiorum ærgo, tinea sanctitatis, execratrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex morbo dña languorem. »

QUI IN CŒLIS EST. — Notat boni operis ad Deum relati mercedem esse celestem, divinam et æternam, cum merces ejusdem operis ad hominum plausum relati sit terrena, humana et modici temporis. Hinc S. Basilus in *Constitut. monast.*, cap. xi, vanam gloriam vocat latronem bonorum operum: « Fugiamus, inquit, inanem gloriam, dulcem spiritualium opum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, lineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depredatricem, eamdemque mellis illitu fraudis suæ veneni coloratricem et mortiferi hominum

mentibus poculi porrecticem. Quod opinor ea de causa facit, ut vitio se illi avidius ingurgitent, nec ulla illius expleantur satietate. Dulce quid, humana imperitis gloria est. »

2. CUM ERGO FACIS ELEMOSYNAM, NOLI TUBA CANERE (SYRUS, *ne clamaveris cornu*) ANTE TE, SICUT HYPOCRITE FACIUNT IN SYNAGOGIS ET IN VICIS (id est in plateis, ubi est hominum confluxus), UT HONORIFICENTUR AB HOMINIBUS. AMEN DICO VOBIS, RECEPERUNT MERCEDEN SUAM. — Scribæ et Pharisei facturi elemosynam in publicis vicis vel synagogis tubicinem præmittent, qui tuba caneret, vel ipsimet eam aut cornu inflabant, specie quidem et prætextu, ut tubæ sonitu eliciat pauperes, turmatim concurrerent ad accipiendam elemosynam, sed in rei veritate ad publicam elemosynæ ostentationem, ut a concurrentibus earum liberalitas videretur et celebraretur. Alludit ad convectionem theatralem: populus enim ad comœdias in theatro spectandas tuba convocatur, hypocrita enim est quasi comedus et histrio.

Nota: hypocritam et hypocritas, qui aliud in corde intendunt, aliud exterius præfendunt et simulat, detestatur S. Scriptura et Propheta, sed maxime Christus, quia Christus est ipsa veritas, simplicitas, sinceritas: unde odit omnem falsitatem, duplicitatem, simulationem; hypocrite enim habent fictum, falsum et quasi duplex cor, unum in ore, alterum in corde; unum enim dicunt, et contrarium sentiunt intenduntque: sunt ergo bicoordes et bilingues. Hinc ergo est spiritus aulicus et politicus contrarius Christo, qui os homini dedit, ut per illud cor sum alteri patefaciat, non ut illud celet et dolose obtegat. Nam, ut ait Jeremias, cap. xvii, 9: «Pravum est cor omnium et inscrutabile.» Hinc Momus optabat homini pectus fenestratum, ut illius consilia et arcana non subdole tegi, sed quasi per fenestram apertam cominus inspicere possent.

Porro, hypocrite similes sunt monstrosi locustis quas vidit S. Joannes, Apoc. cap. ix; hæ enim habebant faciem mulierum, sed caudam scorpionum. Simili enim modo hypocrite primo vultu blandiuntur et verbis adulantur, sed in fine oculle adversantur, pungunt et feriunt. Verum hi ipsi, dum volunt aliis nocere, magis sibi nocent. «Nihil enim operum est, quod non reveletur.» Luc. xii, 2. Quare facile detegitur eorum fucus, hypocritis et fraus; quo facto confunduntur, perdunt fidem et famam, funtque omnibus odibiles. Quocirca David, *Psalm. cxix*, obsecrat et simul diras hypocritis intental, dicens: «Domine, libera me a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acute cum carbonibus desolatoriis.» Vide Jeremiam contra hypocritas detonantem, ix, 3, et xi, 19; ac Christum, *Matth. xxiii*, 13, 14, 15, 23, 25, 27, 29, ubi identidem eorum damnationis Scribis comminatur, et septies repetit «Vae vobis, Scribæ hypocrite,» ac contra tales jubet

nos esse prudentes sicut serpentes, simplices tamen sicut columbas. Hinc S. Paulus, *Rom. xii*, 9: «Dilectio, ait, sine simulatione.» Et Joannes, I, *Epist.*, cap. iii, 18: «Filioli mei, inquit, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.»

RECEPERUNT MERCEDEN SUAM. — *Suum*, quam scilicet querebant. Rursum *suum*, id est signæ quoque vanitati congruam, qua sola ipsi digni sunt, ut fugacissima populi aura, velut chameleones vento, se pascant. Quam stulti sunt hi mercatores, qui cum elemosyna emere possint cœlestes et æternas opes, iis neglectis, malum mercari inanem hominum laudem, hoc est inania verba, quæ aerem verberant et illico transiunt!

3. TE AUTEM FACIENTE ELEMOSYNAM, NESCIAT V. SINISTRA TUA, QUID FACIAT DEXTERA TUA. — Ommissis variis variorum expositionibus quas hic congerit Maldonatus, dico breviter: Sensus est, q. d. Adeo fuge elemosynæ et virtutis tuæ ostentationem, et quantum ad te attinet, secretum appelle ne ab hominibus videatur et celebretur tua virtus, ut si per impossibile sinistra manus tua oculos haberet, videre tamen non posset quid dextera tua faciat boni, qualesque et quantas erogat elemosynas: est hyperbole parabolica, et parabola Syrorum hyperbolica. Similes audivimus cap. v, 29. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et alii. Tantopere latentem et secretam vult esse elemosynam, ut eam non tantum proximum, sed et nos ipsos, quoad fieri potest, celemus, ne illam diutius utraque manu versemus, contemplerur, miremur, celebremus, ejusque intuius et laude oculos et mentem pascamus et oblectemur. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Epitaphio Fabiola*: «Calata virtus Deo iudice gaudet.»

4. UT SIT ELEMOSYNA TUA IN ABSCONDITO, ET PATER TUUS (cœlestis), QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI. — Græca addunt ἐν τῷ κρυπτῷ, id est in manifesto, in propatulo. Ita Syrus, Arabicus et S. Augustinus; quod S. Lucas, xiv, 14, explicat in resurrectione: «Beatus eris, inquit, quia non habent (pauperes) retribuere tibi; retribuatur enim tibi in resurrectione justorum,» cum Dominus, ut ait Apostolus, I *Corinth. iv*, «illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.» Iusta congruaque merces operis secreti est publica laus in iudicio. Christus enim opus tuum secretum publice in iudicio coram Deo, Angelis et hominibus propalabit, celebrabit et æterna gloria præmiabit, ut elemosynam S. Martini, quæ dimidium chlamydis, quam sibi abscederat pauperie dederat, Christus sequenti nocte ea indutus apprensus sancto Martino, coram Angelis celebravit, dicens: «Martinus adhuc catechumenus hæc me veste contexit.»

Si ergo ostentas elemosynam auidve bonum opus, in abscondito, ut nemo illud aspiciat, miretur, recorderet: sin tu illud

abscondis, Deus idipsum toti mundo ostentabit, præsertim in die iudicii. Sic S. Gregorius, Angelo specie naufragi elemosynam iterum et tertio poscenti largam semper et secreto dans, ab eo publicum summumque deus obtinere meruit. Angelus enim postmodum revelavit illum, hæc liberalitate, meruisse et assecutum esse summum Ecclesiæ pontificatum, ut habet ejus Vita. Sic Christus, specie pauperis nudi, petens a S. Catharina Senensi primo tunicam, mox indusium, tertio subuculam, quarto manicas, cum illa liberaliter et secreto omnia tribueret, sequenti nocte eidem apparuit, ostentans tunicam istam gemmis conspicuam, ac promissis se illi daturum vestem invisibilem, quæ omne ab ea frigus arceret (unde postmodum nullum sensit frigus) ac in oculis publicum et eminentem gloriam. Ita Raymundus in ejus Vita.

5. ET CUM ORATIS, NON ERITIS SICUT HYPOCRITE, TRISTES, QUI (legit *et*, id est *qui*; jam legitur *et*, id est *quia*) AMANT IN SYNAGOGIS ET IN ANGULIS PLATEARUM (puta in flexibus viarum, in bivis, trivis, quadrivis, ubi ex duabus, tribus quatuorve plateis confluit populi multitudo) STANTES ORARE, UT VIDEANTUR AB HOMINIBUS. AMEN DICO V. BIS, RECEPERUNT MERCEDEN SUAM. — Stolidi et impudens est hoc Scribarum vanitas et ostentatio, qua captant publicas plateas et trivia, ubi major est turba populi, ut coram illa stantes ostentarent suam orationem et devotionem, cum potius in oratione querendus sit locus secretus, in quo orans sine distractioe mentem colligat, ut cum solo Deo colloquatur. Quod ergo vulgo dicitur de triplici inani studio: inane est studium in fenestra, in platea, apud focum, ob varias res inibi incidentes, quæ mentem a studio distrahant; idem multo magis dicas de oratione: inanis est oratio in fenestra, in platea, apud focum.

STANTES ORARE. — Ex hoc loco et ex Marci xi, 23, ac Lucæ xviii, 11, Jansenius opinatur Judæos orasse stando, non genuflectendo. Verum dico Sacerdotes et Levitas stando sacrificasse Deo et psalmos cecinisse; populum quoque stando ea spectasse: si enim genuflectisset, ob interjectum infer se et altare septem tres cubitos altum, sacrificia videre nequiverisset, præsertim in magna hominum turba. Rursum stabat populus, cum coneloneum aut publicam Salomonis vel alterius benedictionem audiret et exciperet; item cum Deo pro victoria similive beneficio solemniter fieret gratiarum actio, uti nos stamus, cum canitur: *Te Deum laudamus*. Sic Azarias cum sociis in fornace Babylonice illusus permanens, canens: «Benedicite, omnia opera Domini, Domino,» stetit. *Daniel. iii*, 23.

Alias vero Judæi orabant genuflexi, præsertim in actu adorationis vel penitentis, cum a Deo delictorum veniam flagitarent. Ita Salomon in dedicatione templi genuflexus oravit et adora-

vit: nam «utrumque (notent hoc Aulici et delicatuli, qui cum Judæis unum genu Christo flectunt) genu in terram fixerat.» III *Reg. vii*, 34. *Daniel. vi*, 10, ter per diem genua flectens, Deum adorabat. Sic Michæas ait, vi, 6: «Curvabo genu Deo excelso.» Hic enim est ritus adorationis apud omnes gentes. Unde illud: «Dei inquam mihi in Israel septem millia viarum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal,» id est qui non adoraverunt Baal. III *Reg. xix*, 18. Hinc Deus, *Isai. xlv*, 23: «Mihî, ait, curvabitur omne genu,» ut omnes Gentes me colant et adorent. Et II *Paral. xxxix*, 30: «Incurvato genu, ait, adoraverunt.» Idem fecit Esdras, lib. I, cap. v, 3. Quin et quinquagenarius missas ab Achab rege, Eliam genuflexo adoravit. IV *Reg. i*, 13. Sic et omnes gentes adorabant Aman, præter Mardochæum, *Esther iii*, 2. Quod ergo Scribæ et Pharisei stantes orabant, superbi et pharisaici fuit supercilii, ut patet hic et Lucæ xviii, 11; ipsi enim sibi videbantur reliquo populo esse digniores et sanctiores.

Porro, Christiani jam inde ab initio orare solebant genuflexi. Nam Christus iturus ad mortem, genuflexus, imo prostratus in terram oravit in horto. *Matth. xxvii*, 39. Sic et S. Petrus, *Act. ix*, 40; et S. Joannes, *Apo. xix*, 10, et *xxii*, 8; ac S. Paulus, *Act. xx*, 36; et *Ephe. iii*, 14: «Hujus rei gratia, inquit, flecto genua mea ad Patrem Dominum nostri Jesu Christi.» Christiani ergo orant genuflexi omnibus feriis et diebus, idque ad memoriam lapsus Adæ et omnium posterorum ejus, exceptis Dominicis et tempore Paschali, quando stantes orant in honorem et representationem resurrectionis Christi, ut docet S. Justinus, *Quæst. cxv*: «Unde, inquit, talis in Ecclesia consuetudo? quia utriusque nos oportuit jugem obtinere memoriam, et ipsius per peccatum lapsus nostri et gratiæ Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus: quapropter genuum per sex dies inclinatio, symbolum et nota est lapsus per peccata nostra. Quod vero die Dominico genua non flectimus, signum est et designatio resurrectionis per quam gratia Christi et peccatis et a morte, quæ ab illo infecta est, liberati sumus.» A temporibus autem Apostolorum hanc consuetudinem cepisse, docet S. Irenæus, lib. *De Paschate*. Eandem consuetudinem inoleat Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. iii.

6. TU AUTEM, CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM (Græce *ταπεινῶς*, id est in locum secretum, in quo quis se vel sua recondit, uti est penus, conclave, cubiculum. Vatabili *terit cellam*) TUUM, ET CLAUSO OSTIO, ORA PATREM TUUM IN ABSCONDITO, ET PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI. — Græca rursum addunt ἐν τῷ κρυπτῷ, id est in manifesto, sive in propatulo. S. Augustinus, S. Hieronymus, et S. Ambrosius, lib. *De Gen. et Abel*, cap. ix, per cubiculum accipiunt cor et mentem, ejusque secretum, quibus hoc orantem

Hypocrite et hypocritas.

Quam ala sit hypocrite.

Secretum opus Deum par abscondit.

An Jansenius stantes orantes.

Christiani orant genuflexi.

Coram Deo cella abscondita.

ingredi et claudere oportet, ne distractiones inter-  
sepant, quae mentem a Deo avocent; aut, ut S.  
Hieronymus: *Claude ostium*, id est claudere labia  
tua et secreto in mente ora, uti faciebat Anna,  
mater Samuelis, I Reg. 1, 13. Audi S. Ambrosium  
loco jam citato: «Salvator ait: Intra in cubicu-  
lum, non inclusam parietibus, quo tua membra  
claudantur, sed cubiculum quod intra te est, in  
quo includuntur cogitationes tuae, in quo versatur  
sensus tui. Hoc orationis cubiculum ubique  
tecum est, et ubique secretum est, cujus arbiter  
nullus est, nisi solus Deus, qui, ut ait Cyprianus,  
tract. *De Oratione*, non vocis, sed cordis auditor  
est.» Unde in oratione summa requiritur atten-  
tio, ut exclusis omnibus cogitationibus, de solo  
Deo cogitemus, cum eoque reverenter et ardent-  
er colloquamur. Unde post multa subdit S. Cyprianus:  
«Quae autem signum est alienari et capi  
ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum  
deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas  
cogitare, quam quod Deo loqueris! Quomodo au-  
ditur te a Deo postulas, cum te ipse non audias?  
vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando  
tu ipse memor tui non sis?» Huc facit dictum  
sancti Francisci: «Corpus est cella, et anima est  
eremita, quae moratur in cella ubicunque sit,  
etiam inter homines, ad orandum Dominum et  
meditando de ipso.» Ita refert Lucas Waddingus  
in *Annalibus Minorum*, anno Christi 1216,  
num. 5. Aliam causam dat Cassianus, *Collat.* IX,  
cap. XXIV: «Orandum, inquit, in silentio, ut in-  
imicos nostros (demones) lateat petitionis nostrae  
intentio, ne eam impediant.»

Hic sensus verus et appositus est, sed symboli-  
cus potius et mysticus, quam literalis; nil enim  
velat cubiculum hic proprie, ut sonat, accipi:  
per cubiculum autem a pari quemvis locum se-  
cretum significat; sed intellige quantum opus  
est, et attinet ad vanam gloriam et ostentationem  
vitandam, atque ad mentem colligendam, ut  
tota uni Deo intendat, praesertim in oratione pri-  
vata. Audi S. Cyprianum, tract. *De Oratione*: «Se-  
creto nos orare praecipit in abditis et semotis  
locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit  
filii, ut sciamus Deum ubique esse presentem,  
audire omnes et videre, et majestatis suae plenitudo  
in abdita quoque et occulta penetrare, sicut  
scriptum est: *Ego ibis approximans, et non  
Deus de longinquo.*» Jerem. XXIII. Non ergo dam-  
nat hic Christus publicam in ecclesia orationem,  
quae communi Judaeorum et Christianorum usu  
laudabiliter recepta est, ut patet III Reg. VIII, 29;  
*Act.* I, 24, et VI, 6. *Primo* enim, publica oratione  
publice colitur et honoratur Deus; *secundo*, in ea  
quae ad orationem aliorum exemplo magis  
excitatur et accenditur; *tertio*, in ea quasi junctis  
animis et precibus vim Deo facimus, et impetra-  
mus quod petimus. Unde Tertullianus, in *Apolog.*,  
cap. XXX, sic ait: «Illic (in caelum) suspicientes  
Christiani manibus expansis, quia innocui, capite

tra-  
blice:  
Cur?  
Prob.  
Primo.  
Secundo.

nudo, quia non erubescimus (Judaei enim, praesertim sacerdotes orabant tepto capite, ut dixi  
in Pentateuco; nostri quoque in China, dum  
Missam celebrant, tegunt caput ex indulto Pauli  
V, Pontificis, quia apud Sinas turpe est et de-  
deus nudare caput), denique sine monitore,  
quia de pectore oramus, precantes sumus semper  
pro omnibus imperatoribus.» Et *quarto*: «Quasi  
manu facta oramus, haec vis gratia est.» Plura  
de pulchra hac de re habet S. Chrysostomus,  
in 3. *De incomprehensibili Dei natura*. Et Origenes,  
nom. 7 in *Josue*. Denique templum est proprius  
orandi locus, in quo omnes et singuli secreto  
Deum orant, perinde ac si orarent in cubiculo.

Ridicula ergo est heresis ex hoc loco male in-  
tellecto nuper in Hollandia exorta, a quodam  
novatore, qui rejicit omnia templa et tantum  
in cubiculo agit suas suae sectae synaxes. Quin et  
Calvinista, dum ante prandium mense benedi-  
citur, pileo os contegunt, ut secreto orant; sed  
pileus non est cubiculum, de quo hic Christus;  
atque magis orthodoxi sub facie orant secreto in  
mente et cubiculo cordis, ut paulo ante ex  
S. Ambrosio dixi.

REDET TIBI. — Graeca, Syrus et Arabicus ad-  
dunt a. *publico*, q. d. Si ores in secreto, Deus  
publicam tibi pendet devote orationis mercedem,  
praesertim in die judicii. Unde contra Gal-  
vanum dicitur hinc orationis meritum et mercedem.  
Audi sanctum Chrysostomum: «Si ergo sic  
oras, plurimam profecto accipies mercedem. Non  
ait, donabit tibi, sed reddet, inquit, debitorem  
quippe se tibi constituit.»

7. ORANTES AUTEM, NOLITE MULTUM LOQUI, SICUT  
ETHNICI; PUTANT ENIM QUOD IN MULTILOQUIO SUO  
EXAUDIANTUR. — Hoc est, propter multiloquium  
(positur *de* pro *de* more hebraeo); vel ut Graece est  
propter *batologiam*, id est nugacitatem et futi-  
lam verborum profusionem et repetitionem, quasi  
hac sua rhetorica Deum de rebus suis informa-  
turi et docturi, simulque flexuri, ut concedat  
quod postulant: sicut rhetores sua phalerata  
oratione informant fletuntque iudices, ut reum  
absolvant.

Docet ergo hic Christus orationis essentiam non  
esse silam in verbis ore prolatis et profusis, sed  
in colloquio mentis cum Deo, ejus causa et  
quasi anima sit desiderium et pius animi affectus:  
quam tamen non negat verbis posse exprimi  
et foveri, tum ut sicut corde interiori, sic et exter-  
terius ore et lingua Deum laudemus; tum ut  
voce mentis affectus excitetur, acutetur et continetur.  
Disputat de oratione fuse S. Augustinus,  
epist. 12 ad *Probam*, quae inscribitur *De orando  
Deum*; Jansenius hic, cap. XLI, accurate tradit  
modum orandi, aeque ac orationis utilitates.

8. NOLITE ERGO ASSIMILARI EIS; SCIT ENIM PATER  
VESTER QUID OPUS SIT VOBIS, ANTEQUAM PET-  
TATIS EUM. — q. d. Ethnici putant Deum ignorare,  
vel certe non considerare, nec audire suas mi-

Quarto  
audire  
apud si-  
nas indol-  
estant.

Quarto

Hinc  
sis cubi-  
cularia.

Pius  
affectus  
est anima  
rationis

serias et cogitates, a quibus ut liberentur, Deum  
orant: utuntur ergo multis verbis, ut eas ipsi  
enarrant, quasi cum de illis docturi. At errant;  
scit enim Deus, considerat et astimat illas magis  
quam ipsi qui orant. Vult tamen orari, et saepe  
non nisi rogatus succurrit, ut homines suas mi-  
serias aeque ad Deum miserationes agnoscant scient-  
que non suo merito, sed Dei dono et gratia ab his  
liberari. Addit S. Augustinus, *epist.* 121, cap. viii:  
«Deum velle exerceri in orationibus desiderium  
nostrum, quo possimus capere quod preparat  
dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad  
accipiendum parvi et angusti sumus.» Et paulo  
post: «Tanto quippe illud, quod valde magnum  
est, quod nec oculus vidit, quia non est color;  
nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor  
hominis ascendit, quia cor hominis illic debet  
ascendere; sumemus capacius, quanto id, et fi-  
delius credimus, et speramus firmitus, et deside-  
ramus ardentius.»

9. SIC ERGO VOS ORABITIS: PATER NOSTER, QUI ES  
IN COELIS. — Tradit hic Christus Christianis mo-  
dum orandi, non tamen praecipit ut hisce omnino  
verbis oremus, sed tantum docet res quae a Deo  
petendae sunt, et quo ordine qualique verborum  
brevitatis petendae sint. Merito tamen Ecclesia  
ipsis etiam Christi verbis utitur, utpote divinis,  
brevissimis, clarissimis et efficacissimis. Unde  
S. Cyprianus, tract. *De Orat. Dominica*: «Quae,  
inquit, vera magis apud Patrem precatio, in qua  
que a Filio, qui est veritas, de ore ejus prolata  
est?» Et mox: «Agnoscat Pater Filii sui verba,  
cum precem facimus; qui habitat intus in pec-  
tore, ipse sit et in voce. Et cum ipsum habeamus  
apud Patrem advocatum pro peccatis nostris,  
quando peccatores pro delictis nostris petimus,  
advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat,  
quia quodcumque petierimus a Patre in nomine  
ejus, dabit nobis; quanto efficacius impetramus,  
quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius  
oratione?»

Nota: haec oratio Dominica omnes res a Deo  
petendas complectitur: unde Tertullianus, lib. *De  
Orat.*, cap. 1, et eum secutus S. Cyprianus, lib. *De  
Oratione*, illam vocant *Evangelii breviarium*; sicut  
officium ecclesiasticum, quod sacerdotes quo-  
tidie recitant, est totius S. Scripturae compendium,  
ideoque vulgo vocatur *Breviarium*.

Porro S. Augustinus, *epist.* 121, et lib. II *De  
Verbis Domini in monte*, ac post eum Theologi hanc  
orationem distinguunt septem petitiones, quarum  
tres primae spectant honorem Dei, reliquae qua-  
tuor utilitatem nostram. Primo enim ante omnia  
nobis quaerendum est honor Dei; hic enim est  
finis nostrae (aeque ac creaturarum omnium) si-  
mulque involvit beatitudinem nostram et media  
ad illam consequendam necessaria vel oppor-  
tuna.

PATER NOSTER. — «Appellatio ista et pietatis et  
potestatis est,» ait Tertullianus, lib. *De Orat.* Per

*Patrem* S. Cyprianus, Chrysostomus, et Rupertus  
accipiunt primam S. Trinitatis personam; ad hanc  
enim velut S. Trinitatis principium, Ecclesia in  
Missae plerisque orationes sine collectas dirigit,  
ab eaque per merito Filii exaudiri postulat, di-  
cens: «Per Dominum nostrum Jesum Christum  
Filium tuum,» etc. Melius alii accipiunt totam  
S. Trinitatem sive Deum, quia omnes tres per-  
sonae aeque ad extra omnia operantur, ideoque  
omnes aeque sunt invocandae. Porro, Deus est *Pater*  
*noster*: primo creatione, qua nos ex nihilo ad  
sui similitudinem homines rationales et liberos  
creavit; secundo redemptione, qua nos per Christi  
mortem a morte et gehenna redemit; *tertio* re-  
generatione, qua nos in baptismo peccato mortuo  
in novam vitam regeneravit; *quarto* adop-  
tione, qua nos sibi in filios per gratiam adoptavit;  
*quinto* vocatione, qua nos ad caelestem heredita-  
tem vocavit suisque haereditas instituit. Voce ergo  
*Pater* admonemur omnium Dei beneficiorum eor-  
umque maximorum, et consequenter summae  
reverentiae, fiducia et charitatis quam Deo de-  
bemus, ut illi quasi Patri placere satagemus.  
Quid enim filio charius esse potest, quam pater,  
aut cui magis si placere studeat, quam patri?  
Rursus quid non speret filius a patre? «Pater  
noster,» ait S. Augustinus, charitas excitatur  
(quid enim charius filius, quam pater?) et supplex  
affectus, et quaedam impetrandi praesumptio:  
quid enim non det filius, qui dedit ut filii essent?  
ac significatur, ut ait Chrysostomus, peccatorum  
remissio, adoptio, hereditas, fraternitas ad Chris-  
tum et spiritus largitio. Notat S. Cyprianus, tract.  
*De Orat. Dom.*, miram Dei dignationem, qui nos  
jubet orare sic, ut «Deum patrem vocemus, et  
ut est Christus Dei Filius, sic et nos Dei filios  
nuncupemus, quibus aeternitas repromittitur.»  
Unde colligit: «A Meminisse debemus, quia  
quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei  
agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus  
de Deo Patre, sic sibi placeat et de nobis. Con-  
vensemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis  
constet habitare. Nec sit degener actus noster a  
spiritu, ut qui caelestes et spiritalis esse copium,  
non nisi spiritalia et caelestia cogitemus et  
agamus.»

NOTER. — Non dicit Christus: *Pater mi.* «Hoc  
enim Christo est proprium, qui unicus est Dei  
Pater Filius per naturam,» ait Glossa; sed *Pater  
noster*, quia omnes alloquitur, ut doceat Deum  
esse patrem omnium, ac consequenter omnes  
nos esse fratres, ideoque invicem amare et pro  
invicem orare debere, non pro se solo. «Sic, ait  
S. Cyprianus, tract. *De Orat.*, oratio nunc per  
omnibus voluit, quomodo unum in uno omnem ipse  
portavit.» Et Auctor *Imperfecti*: «Dulcor est  
ante Deum oratio, non quam necessitas rei trans-  
mittit, sed quam charitas fraternitatis commenda-  
t.» Addit aliam causam aliquidque commodum  
S. Ambrosius, lib. *De Cain*, cap. ix: «Nunc, inquit,

Deus  
est, pater  
quinta-  
plicitatis.

Ver. 9.  
Luc. XI.  
2.

Brevia-  
rium un-  
de dicitur.

quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis, etc. Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulorum acquiratur singulis totius plebis suffragia. » *q. d.* Voluit Christus singulos orare pro omnibus, ut omnes orent pro singulis : sic quisque non suas duntaxat, sed omnium preces lucretur sibi que asciscat, quod sane magnum est spirituale fœnus et usura.

QUI ES IN CÆLIS. — Quasi dicat : Qui dominaris in cœlis, indeque totum orbem ad nutum moderaris et gubernas. Significat ergo hæc vox : *Primo*, summam Dei potentiam et dominium, ut omnia que petimus or-estare possit et velit tanquam Pater noster, uti optimus, sic et maximus. *Secundo*, significat hereditatem nostram, quam ex hac filiatione a Deo Patre speramus esse cœlestem, non terrenam. *Tertio*, monet ut orans mentem transferat a terrenis ad cœlestia, ubi Deus gloriam suam ostendit Angelis et beatis. Ita S. Chrysostomus. Hinc orantes convertimur ad Orientem, unde cœlum surgit, ait S. Augustinus, ut admoventur omnes se ad Deum convertere. *Quarto*, inuit oranti non alia esse petenda, quam que ad cœlum conducunt; cœtera enim vana sunt, nec nisi fumus et umbra.

SANCTIFICATUR NOMEN TUUM. — *Primo*, S. Cyprianus et S. Ambrosius exponunt, *q. d.* Sanctificatio Dei, quam in baptismo accepimus, in nobis permanet; opus est enim nobis, ait Cyprianus, sanctificatione quotidiana, « ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. » *Secundo*, Tertullianus sic, *q. d.* Sanctos fac homines. Verum hoc sensu hæc prima petitio esset eadem cum secunda : « Adveniat regnum tuum. » *Tertio*, ergo melius S. Augustinus, Chrysostomus et alii explicant, *q. d.* Da, Domine, non ut idolorum, vel dæmonum, vel Mahometis, vel Arii, Lutheri, Calvini, etc., sed tuum nomen sanctum habeatur ab hominibus.

Porro, nomen hic proprie accipi potest, et figurate pro re nominata; idque *primo*, pro ipsa eitate et Deo, quasi dicat : Sanctificetur nomen tuum, id est sanctificeris tu, o Domine Deus noster; *secundo*, pro fama et gloria Dei; hæc enim petimus ab omnibus celebrari; *tertio*, pro Dei attributis, ut omnipotentia, justitia, sapientia, misericordia, etc., ob que Deus nominatur et collitur omnipotens, summe justus, sapiens, misericors, etc. Sensus ergo est, *q. d.* Fac, Domine, ut homines cognoscant, colant, sanctificent tuum nomen, id est te ipsum, sive Deum in essentia unum, et in personis trinum, ac tuam famam et gloriam, tuamque omnipotentiam, justitiam, sapientiam, misericordiam cœteraque attributa; nec quidquam his sanctus, id est augustus, integritus, divinius, ac proinde nihil magis reverendum, coleandum, glorificandum æstimant, ideoque illa perpetuo tum mente, tum lingua, tum vita et moribus celebrent et glorificent, non tantum Christiani, sed et Pagani, Judæi, Hæretici, per

veram de te fidem, veramque tui religionem, amorem, latram et cultum, ut scilicet ad illum ipsos convertas.

Nota : sanctitas Dei est sacratissima Dei in-jestas, integritas, perfectio, divinitas; item p-rilas, liberalitas, fidelitas, bonitas cœteraque divina attributa, quam videntes et influentes Scraphini, quasi in extasin rapti, ita admirantur et obstupescunt, ut jugiter non canant aliud quam : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus. » *Isaia VI.* Vide ibi dicta. Et Psaltes : « Gloria, ait, et divinitas in domo ejus, » *Ps. cxi, 3;* et *Ps. v, 6:* « Sancti-monia et magnificentia in sanctificatione ejus. » Et *Psal. cxliv, 3:* « Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis, etc. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tue loquentur, et mirabilia tua enarrabunt. » Hinc beata Virgo, cum Dei sanctitatem, imo Verbum æternum mente teroquo suo concepisset, stupens jubilans exclamavit : « Magnificat anima mea Dominum, etc. Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. »

SANCTIFICATUR ERGO NOMEN TUUM. — Id est sanctitas tua, o Domine : tua, inquam, sancta majestas, deitas, omnipotentia, justitia, clementia, etc., celebretur et glorificetur ab omnibus; quo indirecte et consequenter petimus omnium hominum sanctificationem. Quare dumdudicimus : « Sanctificetur nomen tuum, » tam Dei, quam nostram sanctificationem flagitamus. Deum enim in se sanctificare nequimus, imo nec gloriam ejus internam et immensam (qua immensa laude Pater glorificat Filium, et Filius Patrem, ac utrumque Spiritus sanctus, et hi vicissim Spiritum sanctum) augere, nec Deo quidquam addere. Sed dum Deum sanctificamus, nobis ipsis sanctitas accedit et accrescit, puta sancta fides, sancta charitas, sancta religio, sanctus Dei cultus, etc., per que nos ipsi sanctificamur intrinsece, et sanctificamus Deum extrinsece, quia per sanctitatem nostram Dei sanctitas apud homines laudatur et celebratur. Denique omnis nostra sanctificatio Dei finita et exilis est : disce ergo modum sanctificandi Deum infinite esse duplicem. Prior est dicendo : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Hoc est, attribuo Deo gloriam ipsi commensam et infinitam, quam habuit a principio, hoc est ab æterno, qua scilicet Pater, Filius et Spiritus jugiter se invicem divina et infinita laude glorificant. Posterior est, qua Deo offerimus Christum crucifixum in Missa; Christo enim, quia Deus et homo, est victima divina, ac Deo commensa et infinita. Itera et frequenta utramque hæc praxim, ut Deum sanctifices quantum meretur, et quantum dignus est sanctificari et glorificari.

10. ADVENIAT REGNUM TUUM. — Hæc est secunda petitio orationis Dominicæ, qua Deo postulamus regnum, sicut prima eidem postulavimus nominis

sanctificationem, quia per hoc regnum sanctificatur et glorificatur Dei nomen.

Porro, quadruplex est Dei regnum. Primum est dominium Dei in omnes omnino creaturas, de quo *Psal. cxlvi:* « Regnum tuum, regnum omnium sæculorum; et dominatio tua in omni generatione et generatorem. » Secundum regnum Dei est mysticum, quo per fidem et gratiam regnat in animis fidelium et sanctorum; ac tale regnum hic nos poscere censeant, ut Diabolus in mundo regnare desistat, nec peccatum regnet in nostro mortali corpore. Ita S. Hieronymus, Ambrosius et Euthymius. Audi S. Ambrosium, lib. VI *De Sacram.*, cap. v : « Postulatio, ut in nobis sit regnum Christi. Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest, culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. » Tertium Dei regnum est in cœlo, quo feliciter per gloriam regnat in beatis; ac illud hic intelligit Tertullianus et S. Cyprianus, tract. *De Orat. Dominica:* « Ut Christo, inquit, dominante regnemus, qui ante sæculo servivimus. » Bene autem, ait Cyprianus, regnum Dei petimus, id est regnum cœlestis, quia est terrestre regnum. Sed qui renuntiavit jam sæculo, major est et honoribus ejus, et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. » Quartum Dei regnum plenissimum et perfectissimum est, quo devicto et destructo prorsus Diaboli regno, peccato et morte, Deus solus perfecte tam amicis suis, scilicet Sanctis, quam inimicis, id est impiis et reprobis dominabitur, quod fiet in resurrectione et die judicii, durabitque in omnem æternitatem, de quo I *Cor. xv, 28.* Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus; tunc enim tolletur omnis potestas dæmonum et hominum impiorum, qui nunc in mundo dominantur, Deumque et Dei servos persequuntur et impugnant, idque hic optime intelligitur et petitur; nam, ut dixi, hæc tres primæ petitiones per se et directe tantum Dei honorem spectant, et non nostram gloriam, nisi consequenter. Non est ergo sensus, *q. d.* Regna tu, Domine, in cordibus nostris per gratiam, aut fac nos regnare cum beatis in cœlo; hoc enim ad nos proprie pertinet, non ad Deum; sed *q. d.* Precamur, o Domine, ut si absolute et sine adversario regnes, ut scilicet omnes omnino creature et homines tibi substantur, itaque tu gloriose in piis regnes per gratiam et gloriam, in impiis per justitiam et vindictam æternam. Inde tamen consequenter postulamus nobis, ut cito ex hoc mundo, velut æ gravi peregrinatione et periculosa militia, transferamur ad regnum gloriæ et felicitatis æternæ, ut cum Christo et Sanctis ejus in æternum regnemus. Tunc enim Deus plene regnabit in nobis, et nos in Deo, juxta illud *Apocal. v, 10:* « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Et *Sap. v.:* « Ideo accipiet (justi) regnum decoris et diadema speciei de manu Do-

mini, quoniam dextera sua teget eos et in brachio suo defendet illos. » Tunc enim « Deus erit omnia in omnibus. » I *Cor. xv, 48.*

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CÆLO ET IN TERRA. — Hæc est tertia petitio, licet Tertullianus, lib. *De Orat.*, eam ponat secundam; tertiam vero illam que præcessit : « Adveniat regnum tuum. » Spectat et hæc Deum Deique regnum, quia quo magis sit voluntas Dei, eo magis propagatur Dei regnum, dum plures illi se voluntarie subjiciunt. Magnus enim Dei honor, magnum Dei dominium et regnum est, ut omnes et omnia ejus voluntati sub-sternantur, utque illa in omnibus compleat. Porro, duplex est voluntas Dei, scilicet *benefica et signi;* sive *absoluta et optativa.* Voluntas beneficæ in Deo est illa, qua Deus absolute vult aliquid fieri, quo semper impletur et quam nulla vis impedire aut sistere vel retardare potest, juxta illud *Psal. cxiii:* « Omnia quecumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra. » Et illud *Isaia xlvj:* « Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. » Et illud *Esther xii:* « Non est qui tua possit resistere voluntati. » In hæc ergo nobis acquiescendum est, vel congaudendo, vel tolerando adversa que nobis immittit.

Voluntas signi est, qua Deus significat qui velit a nobis fieri per suas leges et precepta, qui nobis imponit. De hac secunda voluntate omnes Patres intelligunt hæc petitionem. Non ergo est hic sermo proprie de voluntate efficaci et beneficæ, hæc enim non potest non impleri, sed de voluntate Dei optativa et imperativa, que a Theologis signi dicitur. Sensus ergo est, *q. d.* Da, Domine, nobis tum copiosam et efficacem gratiam, qua ita alacriter, integre et concorditer per omnia, tam in agendo quam in patiendo, tuis jussis et desideris obediant homines, sicut Angelis in cœlo obediunt. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hic, et S. Augustinus, lib. XI *De Serm. Domini in monte.* Alludere videtur Christus ad illud *Psal. cii, 20 et 21:* « Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, qui factis voluntatem ejus. » Angelorum ergo promptitudinem, celeritatem, efficaciam, perfectionem in implenda Dei voluntate imitari debemus, ut illam veneremur et honoremus, ac consequenter nobis ipsis beneficiamus. Nam, ut ait Apostolus, I *Thess. iv:* « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. » Et Christus, *Math. xii:* « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, et soror, et mater est. » Audi S. Cyprianum, tract. *De Orat. Dominica:* « Voluntas Dei est, quam Christus et fecit et docuit : humilitas in conversatione, stabilitas in fide, veracitas in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare, cum fratribus vocem tenere,

Quadruplex est Dei regnum.  
Primum.  
S. v.  
Cœlo

Notas  
Suppl.  
sancti-  
ficandi  
Deum  
infinitam  
Prior.

Posterior.

Verbo  
Licitur

Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino preponere, quia nec nobis quidquam ille preposuit; charitati ejus inseparabiliter adhaerere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere: quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in questione fiduciam, qua congruimus; in morte patientiam, qua coronamur: hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est praeceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.»

Nota prima: voluntas optativa Dei, quae signi dicitur, duplex est, una precipiens, qua aliquid fieri jubet aut vetat: hanc semper implere tenemur; altera suadens et consulens, qua consulit paupertatem spiritus, virginitatem, statum perfectionis, etc.: hanc non tenemur implere; nam possumus nolle ob aliquam causam particularem honestam, verbi gratia, infirmitatem, tentationem, obligationem succurrendi parentibus vel reipublicae, id quod Deus in genere consulit. Ratio est, quia Deus id quod consulit, neque absoluta voluntate vult, neque etiam me vult ad hoc obligare: unde non tenetur illud implere; secus est in voluntate Deo precipiente.

Nota secundo: voluntas nostra debet esse conformis voluntati divinae: primo effective, quia ut voluntas nostra sit bona, debet velle id quod eam velle vult Deus, puta, ut velit id quod lex Dei vult eam velle et facere. Nostra enim voluntas subjicere se debet legi et voluntati divinae, tanquam omnium creatrici et imperatrici. Secundo objective; debet enim voluntas nostra consentire divinae in objecto formali, sive in ratione volendi. Ut enim sit recta, debet velle id quod honestum est ac conforme rectae rationi, ideoque voluntati divinae; haec enim vult omne honestum et id quod recta ratio faciendum dicitur. Lex enim aeterna, quae est in mente et voluntate Dei, est norma et regula omnis honesti omnisque virtutis, quam recta ratio dicitur.

Nota tertio, voluntas nostra, ut sit bona, non debet sese conformare divinae in objecto sive voluto materiali, etiam cognito. Patet hoc exemplis S. Scripturae. Deus enim volebat Sodomam subvertere; et Abraham, quantum in se erat, hoc volebat: unde Dominum rogavit ne id faceret. Deus volebat infantem quem susceperat David ex adulterio mori, David autem de hoc vehementer dolebat. Deus volebat Christum venire in carnem ante quatuor millia annorum evoluta, Prophetae autem desiderabant eum venire citius. Volebat gentem Judaicam deserre et suam beneficentiam convertere ad gentes, sed Paulus ita de hoc dolebat, ut vellet esse anathema a Christo. Denique hoc adeo verum est, ut Deus possit mihi praecipere, ut velim aliquid, quod tamen ipse non vult, sicut praecipit Abraham, ut vellet interficere filium, quem tamen ipse volebat interfici. Ratio

Non in materia h.

est, quia id quod Deus vult, potest homini esse incommodum et detrimentosum; aliud enim Deo, aliud homini congruit; ut ait S. Augustinus, *Enchir.* 101: unde quatenus est incommodum, potest homo illud nolle et de eo dolere, et haec affectio erit consentanea divinae voluntati in generali ratione volendi, quae est ratio honesti. Caritas enim et pietas dicunt honestum esse, ut nostram nostrorumque salutem desideremus et, quoad possumus, procuremus: quod si deinde videamus nihilominus Dei voluntatem absolutam esse, ut contrarium fiat, illi repugnare non debemus, nec ei obmurmurare, sed potius ei humiliter nos subjicere in eaque conquescere, ac dicere cum Christo in horto: «Non mea voluntas, sed tua fiat.» Prior ergo voluntas nostra dissonans a voluntate Dei in voluto materiali, velleitatis potius est, quam absoluta voluntas: unde in ea vel explicitè vel implicitè addenda est haec conditio: si id placeat Deo, aut: si id permittat divina voluntas; aut *g. d.* Vellem Deum velle hoc, quod mihi meisque commodum est, si id ei placeat. Nam si is absolute id nolit, in ejus voluntate æquissima et sanctissima conquesendum est.

Hinc ulterius sequitur, non teneri nos ut a velimus quae ex sola Dei permissione eveniunt, imo quaedam neque posse nos velle, ut sunt peccata, quia etiam Deus haec nullo modo vult; alia vero quae peccata non sunt, non tenemur velle, sed toto affectu possumus desiderare ut non eveniant et, quantum in nobis est, amolari, ut sunt caedes, eversiones urbium, violationes virginum, quae pati peccatum non est et a Deo non sunt absolute decreta, saltem ante previsionem causarum secundarum. Sanctus tamen videtur in his quoque dicere cum Psalle: «Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.» Quare melius est, ut plurimum, considerare justo Dei judicio ea permitti ad Dei gloriam et acquiescere in divina ordinatione, quam de eis multum dolendo se vexare, quia hoc juvat ad patienter ferenda quaelibet mala, praesertim cum non semper constet an illa sit voluntas permittens, an ordinans et decretoria, licet negandum etiam non sit displicentiam quamdam istorum effectuum et ipsi naturae et pietati et charitati esse consentaneam; solum adhibendus est modus.

Possumus ergo illa nolle, quatenus ex eis tot mala sequuntur: possumus etiam illa velle, quatenus Deus ea vult fieri ad justam scelerum castigationem. Haec enim est Dei voluntas absoluta, quae beneficii dicitur, cui in bonis congaudendo et congratulando consentire debemus; in malis tolerando et non obmurmurando, sed humiliter Dei flagella excipiendo, ut cum Deus nos peste, fame, bello castigat. Unde Maldonatus: «Petimus, ait, ut voluntas Dei fiat a nobis, sed etiam in nobis; majoris enim momenti est, voluntatem etiam minimam Dei impleri, quam omne bonum creaturae, quae est creatura.» *L. S. Cyprianus, tract. De*

Ne in permissione moriamur.

*Mortuata*, cum hortaretur populum ut æquo animo ferret mortalitatem, quae tunc in illa provincia grassabatur: «Meminisse, inquit, debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare.»

Sic, *Act. XXI.* etiam discipuli non possent regnare S. Paulum, ne pergeret Hierosolimam, ut in vincendum erat, dixerunt: «Voluntas Domini fiat,» quia, ut ait S. Augustinus, *serm. 121 De Tempore*: «Mentem suam sublimi et divino statuto devotissime subdidit.» Sic S. Maria Oigniacensis, cum audivisset a Deo matrem suam ob bona injuste possessa esse damnatam ad gehennam, dixit: «Fiat voluntas Dei,» fiat quod Deus juste decrevit, ut refert Jacobus Cardinalis de Vitriaco in *ejus Vita*, quae extat apud Surium, tom. III.

Memorable est quod in Vita S. Christianæ Mirabilis (apud Surium ante diem 24 junii), cap. xx, legitur, ea die qua a Saladino et Saracenis capta est Jerusalem, Christique crux et sepulchrum, ipsam in Belgio degentem, Deo revelante, id cognovisse, ideoque non contristatam, sed exultasse in spiritu, causamque rogatam hanc dedisse: «Christus pro illata ipsi contumelia dignum censuit, ut terra illa hac ignominia afficiatur, quamvis ipsis passione sanctificata, attamen in fine mundi cum ipso reditura: quando illius recuperandæ causa animæ semper victura, ejusque sanguine redempta, ab iniquitate ad justitiæ studium convertentur, fundentque homines sanguinem suum, et quamdam morti Salvatoris vicem cum multa devotione rependant.» Sic cum videamus urbes capi a Turcis vel hereticis, non nos affligamus, sed conquescamus in Dei voluntate et providentia, cujus partim justitia, partim misericordia tibi glorificatur: «Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine,» ait Psaltes, *Psal. c.*

Addo quod infideles subinde honestius vivunt minusque Deum offendunt, quam fideles, qui Deum melius norunt et majora ab eo beneficia perciperunt. Quocirca terram sanctam ob multiplicia, eaque enormia, qualia nec Turcae committent, Christianorum eam incolentium scelera a Deo traditam fuisse Saladino et Saracenis, graphicè enarrando ostendit Marinus Sanctus Venetus, in libro cui titulus: *Secreta fidelium crucis*, lib. III, part. VIII, cap. n, v, vi et seq.

Denique stolidè Lutherus hinc inferebat Turcae non esse resistendum, quia Turca, inquit, est flagellum Dei, utique voluntate nos invadit et castigat. Resp. Turca est flagellum Dei non positivum, quale est flagellum magistri flagellantis negligentem discipulum, sed permissivum duntaxat; vult enim Deusmittere ut Turca tyrannice nos invadat et affligat; sed simul vult ut ejus tyrannice invasioni resistamus, nimirum ut pugnando et vinceado Turcam, discamus pugnare contra vitia illaque superare.

St. Iulianus Ambrosius

Denique præclare R. Gamaliel, in *Pirke Avoth*, cap. II: «Fac, inquit, voluntatem Dei perinde ac tuam, imo relinque tuam, ut Dei adimpleas. Sic enim Deus pariter aliorum voluntates suas concordabit.» Hoc enim congruum obedientie est præmium, ut sicut obediunt voluntati divinae, sic illi obediunt et consentiant voluntati nostrae.

Sicut in COELO ET IN TERRA. — *g. d.* Sicut Angelus in caelis promptissime et plenissime faciunt voluntatem Dei, sic eandem quoque faciunt homines in terra, ut sicut a reatis esse amore pure, constanter et perseveranter ad Dei gloriam, Deo servitur in coelo; sic et servitur a mortalibus in terra. «Jubet, ait Chrysostomus, hic degentes conversationem coeli habitatoribus habere communem, et antequam superna illa praesertim habitatio, coelum quodammodo vult fieri et terra, aliosque nobis Angelos terram monstrare,» ut scilicet ita obediamus Deo in terra, perinde ac si inter Angelos versaremur in coelo.

Hinc hieroglyphicum orationis est catena aurea et coelo emissa cum hoc lemmate: «Ad sidera sic trahimur.» Catena enim dicta est, quod se capiendi tenent, quia in ea annulus annulum capit. Catenam auream et coelo pendere finxit Homerus a Jove emissam, ut caeteri dii qui in terris commorabantur, ad eam appensi, ipsum e coelo traherent: qui omnes toto virum conatu egregium hoc opus agredientes, inconsiderate in coelum veluti per scalam ascenderunt. Symbolum hoc est orationis. Est enim oratio ascensus mentis in Deum, et hanc D. Dionysius affirmabat esse catenam auream, quae Deum ipsum ad nos trahimus nosque ad eum trahimur, dum velle nostrum infallibilis et æquissimæ ejus voluntati subjicimus, et is est orationis nostræ præcipuus effectus, huncque ipsemet Christus in oratione Dominicali nobis expressit illis verbis: «Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.»

Mystice: primo, S. Augustinus, Tertullianus et Cyprianus per coelum accipiunt spiritum, per terram carnem. *g. d.* Quocirca caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, fac, Domine, ut caro succedat se spiritui, ut sicut spiritus servit legi Dei, sic et caro non serviat amplius legi peccati, sed legi Dei.

Secundo, S. Cyprianus per coelum accipit justos, per terram peccatores, *g. d.* Fac, Domine, ut peccatores faciant voluntatem tuam, sicut faciunt justus.

Tertio, S. Augustinus per coelum accipit Christum, qui e caelis descendit in terram, ut terram, id est Ecclesiam terrestrem sibi desponderet et copularet in incarnatione, quasi dicit: Fac, Domine, ut sicut Christus facit tuam voluntatem in omnibus, sic faciat et Ecclesia; hanc enim est sponsa Christi, quam proinde sponso suo Christo in omnibus conformari deest.

Moraliter: sanctitas, quietas, lectissima, perfectio Christiani consistit in abnegatione voluntatis suae,

Symbolum orationis est catena aurea.

S. Iulianus Ambrosius

179  
in es-  
formatio-  
ne volun-  
tatis sue  
et cum  
divina.

ejusque in omnibus tam adversis, quam prosperis, conformatione cum voluntate divina: nam ait S. Bernardus, serm. 3 *De Resurrectione*: « Quid tunc odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis illi deserviet, nisi in propriam voluntatem? » Quocirca prisci ascetæ et religiosi perfectius studiosi continue se exercebant in hac conformatione, ut nihil vellent, nisi quod Deus vult atque hanc unicam ad quietem et perfectionem esse viam dicebant: « Talis enim conformatio maritat animam Verbo, » ait S. Bernardus, serm. 28 *in Cant.* Sicut ergo sponsa nil vult, nisi quod vult sponsus, itaque semper fit, quod ipsa vult; sic anima, quæ suam voluntatem exiit et induit divinam, experitur semper id fieri quod ipsa vult. Illud D. Taulerum docuit instructor ille suus, ut fusc enarravi, Rom. XII, 2. Quocirca S. Gertrudis hæc verba: « Fiat voluntas tua » subinde trecenties sexagies quinque pessimissime recitabat et iterabat, hocque gratissimum Deo sacrificium esse intelligebat. Unde ipsa jussa a Deo eligere sanitatem aut morbum, respondit: « Vehementissime desidero ut non facias voluntatem meam, » sed tuam. Et hoc pacto in altissima pace et gaudio permanebat. Nam qui in Deo scit se habere omnia, ceteraque nihil estimat, et considerat voluntatem illius esse optimam, potentissimam et utilissimam, omnino in ea conquiescit, dicitque cum Psalme: « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Et cum S. Augustino, lib. I *Confess.*, cap. 1: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Deus enim est omne bonum, adeoque unicam et dulcissimum solatium, ac quies et centrum anime sibi unitæ: hæc ergo fixa in Deo, quasi rerum vertice, unum undique Deum et super omnia, subitus se appetitum suum, omniaque cetera intinetur et in divina voluntate, quasi in sinu Dei conquiescit. Extat hæc de re dialogus brevis, sed insignis S. Catharinæ Senensis, quo summam pacem et perfectionem consistere docet in conformatione cum voluntate divina, ut quis in eam voluntatem suam, imo totum se suaque omnia in omnibus et per omnia plane pleneque resignet, dicatque semper et ubique in quolibet rerum eventu: « Fiat voluntas tua. » Quocirca ipsa in corde suo fabricaret cubilecum ex tabulis voluntatis divine concameratum, in eoque quasi in celo jucundissime et sanctissime assidue habitabat seque concludebat, ut nihil cogitaret, loqueretur aut faceret, nisi quod Deo placere Deique voluntatis esse crederet, ideoque illam quidquid agendum erat edocebat Spiritus sanctus. Audierat enim a: « Crede, filia, Deum tuum, magis posse, scire et velle bonum tuum, quam tu, ideoque omnia prospera et adversa ordinare et dirigere ad bonum tuum nullo magis, quam pater et mater per omnia curant et omnibus modis procurant bonum filii sui unico dilecti. »

COMMENTARIA IN MATTHEUM, CAP. VI.

11. PANEM NOSTRUM SUPERSUBSTANTIALEM (multo legunt quotidianum) DA NOBIS HODIE. — Hæc est quarta petitio, qua uti et tribus sequentibus peti tres primas petitiones ad Deum spectantes petimus ea quæ ad nos pertinent, ac in primis panem nostrum, hoc est, non Angelis, non tamen vos Angelis æquo; vos enim pane indigetis, illi non indigent, quia illi sunt immortales et impassibiles, vos estis mortales et fragiles. Hinc rursus Rupertus, lib. XVII *in Gen.*, cap. XXV, colligit omnes homines, etiam divites, principes et reges esse mendicos Dei et ab eo quotidie mendicare panem. Sicut enim Deus filiis Israel per 40 annos in deserto quotidie pluebat manna e celo, eoque aluit sexcenta hominum millia; sic quotidie, dum mensæ assidemus, Deus quasi pluit singulis escam e celo. Hinc David, licet rex, dicebat: « Ego autem mendicus sum et pauper. Dominus sollicitus est mei. » *Psal.* XXXIX, 18. « Dicamus ergo, mendici omnes, ait Rupertus, ante fores divine gratiæ: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Audi S. Augustinum, serm. XV *De Verbis Domini secundum Matth.*: « Petit te mendicus, et tu es Dei mendicus; omnes enim, quando oramus, mendici Dei sumus, ante januam magni Patris familias stamus, imo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, et ipsum aliquid est ipse Deus. Quid a te petit mendicus? Panem, et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit: Ego sum panis vivus, qui de celo descendi? »

NOSTRUM. — Panis, ait S. Gregorius, lib. XXIX *Moral.*, cap. VII, Dei est ex munere, noster autem per acceptionem. S. Chrysostomus vero: « Qui de justitia, ait, acquisitum manducat, suum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum. »

SUPERSUBSTANTIALEM. — Quereres, quis est panis supersubstantialis? Resp. Græce est ἐπιούσιος (quæ vox alibi non reperitur, quam hic et Lucæ VI, 22.) quod primo Angelus Caninius, lib. *De Nomin. Hebraicis novi Testamenti*, vertit crastinum; nam ἐπιούσιος ἡμέρας dicitur sequens vel crastina dies, q. d. Sicut in Parasæve, sive feria sexta Hebræi in deserto colligebant manna per Sabbato, quo quiescendum erat; ita tu, Domine, da nobis hodie panem in crastinum: nam ulterius non sumus solliciti, sed post crastinum expectamus, et quasi preparamus nos ad Dominicam resurrectionis et ad jubileum æternum. Sarcinas ergo colligimus, et tantum petimus panem in crastinum. Favet quod scribit S. Hieronymus in *Evang. Hebræo Nazærorum* haberi מחר machar, id est crastinum. Unde S. Athanasius, tract. *De Incarnatione Verbi*, censet

COMMENTARIA IN MATTHEUM, CAP. VI.

nos hic petere Spiritum sanctum, qui est panis divinus quo vesci et frui speramus in celo, et cuius primitias accipimus et libamus in Eucharistia.

Secundo, S. Hieronymus ἐπιούσιος explicat ἀετιώσιον, id est præcipuum, egregium, eximium, peculiarem; Symmachus vertit electum, aut qui super omnes substantias est, et universas superat creaturas. Sic et Cassianus, *Collat.* IX, cap. XX; et Cyrillus, catech. V *Mystag.*; et S. Ambrosius, lib. V *De Sacram.*, cap. IV, qui per panem hunc intelligunt Eucharistiam, quæ a Zacharia, cap. IX, vers. ult., vocatur frumentum electorum.

Tertio, ad litteram, ἐπιούσιος idem est quod εἰσαρκίς, id est ad substantiam pertineans, puta panis substantialis, essentialis, substantivus, qui ad conservandum hominis substantiam et vitam quotidie est necessarius (1). Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et S. Basilus in qq. compendio explicatis, *Quest.* CCLII; S. Cyrillus, qui catechesi V *Mystag.*, et alii multi cum Suida, ἐπιούσιον interpretatur, τὸ τῶν ἡμεῶν εἶδος καὶ τροφὴν ἐπιούσιον, id est nostræ substantiæ et nutritioni congruentem et sufficientem, qui scilicet non serviat voluptati, sed necessitati, nec delicatior aut copiosior sit, sed frugalis et moderatus, id est quotidianus; illud enim quod quotidie necessarium est ad sustentationem, et quo quotidie indigemus, hoc vocamus quotidianum. Unde Syrus vertit panem indigentia nostræ; Arabicus panem sufficientem (sic et Aegyptius, Ethiopicus et Persicus) quem Latini cibarium vocant, unde et Latinus interpres in *Luc.* XI, 3, clare vertit quotidianum, et ita hoc loco Matthæi quotidianum vertunt leguntque Patres, qui versionem S. Hieronymi antecesserunt, ut S. Cyprianus; S. Ambrosius, lib. V *De Sacram.*, cap. IV; S. Augustinus, *Enchir.*, cap. CXV, et alii; imo Ecclesia recitans in Officio et Missa *Pater noster* juxta S. Matthæum, dicit orantque ex veteri ante S. Hieronymum versione: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » itaque fideles orare docet.

Porro S. Hieronymus, qui jussu Damasi Latinam versionem novi Testamenti ad Græcum textum tenuerit, pro quotidianum hoc loco posuit supersubstantialem, ut fideliter ad verbum vim vocis Græce exprimeret. Dicitur enim ἐπιούσιος ab ἐπιούσιον, id est super substantiam, id est, juxta vel ad substantiam pertineans, qui scilicet substantiæ nostræ sustentandæ est conveniens et necessarius, puta non supervacaneus, delicatus, curiosus, sed substantialis, simplex, vulgaris. Audi Nyssenam, tract. *De Orat.*: « Panem

(1) Com. senonæ hanc explicationem, inquit Kulmoel, etiam lingue analogia; nam, v. c., ἐπιούσιος est quod ad torcular pertinet, ἐπιούσιον quod ad sepulturam pertinet. Contentant tamen nonnulli panem ἐπιούσιον significare panem crastini diei, seu quantum sufficit in crastinum; sed minus probabiliter. Vid. Schegg, *Die heiligen Evang.*, I. Th. I, pag. 466.

da, non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium prefecturas, non pannosericos, non musica acroamati, non quidquam quo anima a divina et potiori cura abstrahatur, sed panem. » Et infra: « Exiguum est, quod nature debes, cur adversus tempestivum multiplicas tributa? Est autem venter perpetuus tributorum exactor. Die ei qui educit panem de terra, die corvos pascenti, qui omni carni cibum dat, qui madum aperit et omne animal bona voluntate replet: A te mihi vita est, a te quoque mihi vite subsidium contingat. Tu, da panem, id est ut ex justis laboribus cibum adipiscar. Nam si Deus justitia est, non habet a Deo panem, qui ex re fraudulenter parta cibum habet. »

Rursus ἐπιούσιον derivari potest ab ἐπειν et ἐπίσιν, id est accedo, advenio, insto, ut significet panem instantem, id est hodiernum, quem scilicet mane petimus quotidie pro adventu diei, et instante præadio vel cæna. Ita noster Lessius, lib. II *Justitia*, cap. XXXVII, dub. 4, et favet S. Ambrosius, lib. V *De Sacram.*, cap. IV; ubi nota Evangelistas subinde novare novasse voces formare, præsertim ubi res est nova, uti in Evangelio sunt eucharistia, baptismus, ἐπιούσιος, τρωπικόν, etc., idque simili compositione illi quæ Græci ab ὀδία formarunt ἐπιούσιος, ἐπιούσιος, ὑπὸδον, etc.

Panis ergo supersubstantialis idem est, qui panis quotidianus, qui scilicet quotidie substantiam nostram conservare debemus, quem Evangelium Matthæi Hebr. nuper editum vocat תמיד תמיד, id est jugem, quo scilicet continue egemus: hæc enim vox ficta est a תמיד תמיד, id est semper, jugiter. Alii vocant דבר יומי debar iom, id est verbum, sive rem diei, hoc est panem quotidianum, quem quotidie ut necessarium sustentationi a Deo petere debemus. Vetat enim mox Christus, ne solliciti simus de crastino, de quo incerti sumus, an simus victuri: « Volens, inquit Chrysostomus, nos undique accinctos esse, et quibusdam velut fidei pennis instructos, semper ad cælestia subvolare, nec amplius indulgere nature, quam a nobis ipse necessitatis usus exposcit. » Et S. Cyprianus, tract. *De Orat. Dominica*: « Merito, ait, Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur, quia et contrarium sibi sit et repugnans, ut queramus in seculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advadare. » Per quotidianum ergo excluditur sollicitudo crastini. Rursus S. Hieronymus vertit supersubstantialis, ut innumerat maxime hic peti panem e plestem, qualis est Eucharistia, de quo mox

Quæres secundo, quis in particulari est hic panis supersubstantialis, sive quotidianus? Calvinus, lib. III *Instit.*, cap. XX, 44, et Philippus Melancthon in locis communibus, tit. *De Invocatione et Precatione*, solum corporalem accipiunt. Catholici nonnulli solum spirituales intelligunt. Sane hanc

Panis supersubstantialis.

